

licet indignitas personalis, qualiter nos mereamur nunc, C. Maj. Quoad remotionem impedimenti, quod se tenebat ex parte naturæ peccato originali vitiatæ, N. Maj. Solutio est D. Thom. in 3. D. 18. q. 1. art. 6. Quæstione. 2. ad 2.

Repones cum Medina. Extrinseca Dei ordinatio illorum meritorum ad Incarnationem potuit supplere illorum proportionem: ergo. R. N. Ant. illa enim extrinseca ordinatio non elevaret illa opera supra ordinem gratiæ, adeoque non tribueret illis valorem alterius rationis, quam secundum se haberent.

Replicabis. Posita illa extrinseca Dei ordinatione, & promissione retribuendi Incarnationem illis operibus, Incarnatio foret illis operibus debita: ergo eam mererentur de condigno. R. D. Min. Foret eis debita ex fidelitate Dei, qui promissis non deest, C. Min. Ex condignitate operis, N. Min. & Conseq.

Dico 2. (Ibid.) Antiqui Patres meruerunt de congruo Incarnationem. Est etiam communis.

Prob. (Ibid.) Congruum erat, ut Deus exaudiret desideria, & preces amicorum suorum, qui ipsi obediebant; atqui SS. Patres erant amici Dei, desiderabant, & petebant Incarnationem: ergo.

Sed difficultas est, utrum illud antiquorum meritum fuerit de congruo strictè, an latè? Plures Theologi, tam domestici, quam extranei, contendunt esse de congruo strictè, fundanturque in S. Thom. qui hic art. 11. o. dicit: *Ex congruo meruerunt SS. Patres Incarnationem desiderando, & petendo. Congruum enim erat, ut Deus exaudiret eos, qui ei obediebant.* Quæ verba intelligunt de congruo strictè. Sed quia Incarnatio, seu Christus est principium totius meriti SS. Patrum, sique sequeretur, quod principium meriti caderet sub merito, ut hunc nodum solvant, in varias explicationes abeunt.

Quidam dicunt, Incarnationem, ut intentam, hoc est Christum, & ejus merita, ut intenta, esse principium meritorum SS. Patrum per modum cause finalis tantum, quatenus Deus intendens Incarnationem Christi, vi illius intentionis elegit merita antiquorum Patrum, tanquam media, ad executionem Incarnationis: unde Incarnatio in intentione est principium meritorum SS. Patrum, & merita Patrum sunt principia Incarnationis in executione; adeoque principium meriti sub ratione, qua est principium meriti, non cadit sub merito; seu, quod idem est, Incarnatio, & merita Patrum sunt sibi invicem cause in diverso genere, Incarnatio in genere cause finalis, merita Patrum in genere cause efficientis moralis; quod non repugnat. Verum obstat videtur, quod nullum sit, aut concipi possit meritum in antiquis Patribus, quod non solum propter Christum, aut Incarnationem, tanquam causam finalem, sed etiam quod non sit ex ipso Christo, seu ex ejus meritis, tanquam ex causa efficiente morali; nullum est enim, aut concipi potest, pro hoc statu meritum in hominæ, quod non accipiat valorem suum, & vim merendi ex meritis Christi, seu cui Christus non meruit gratiam, qua ejus opera sint meritoria, apud Deum, ut docet hic Auctor ad 2. & omnes admittunt, juxta illud Jo. 1. *Omnes de plenitudine ejus accepimus.* Ad verò, nec sunt, nec concipiunt merita in Christo moraliter efficientia merita nostra, nisi prout Christus consideratur, ut existens, aut absolute futurus in aliqua differentia temporis, consequenter in statu executionis, & non intentionis tantum; actiones enim sunt suppositorum, & existentium. Si ergo merita Patrum causent Incarnationem in executione, in genere cause efficientis moralis, & Incarnatio vicissim in executione causet merita Patrum in eodem genere cause efficientis; evidens est, quod principium meriti cadat sub merito operis ab ipso procedentis, quod Incarnatio sit causa, & effectus in eodem genere; seipsa prior, & posterior, &c.

Alii dicunt, antiquos Patres meruisse de congruo Incarnationis executionem, non prout decretam, & prævisam, sed ut executam in tempore. Sed neque iste dicendi modus probatur, quia nihil fit in tempore, nisi eo modo quo Deus per suum decretum executivum decrevit ab æterno fieri. Unde vel Patres meruerunt de congruo executionem Incarnationis, ut prævisam, & decretam a Deo, vel eam non meruerunt, ut executam in tempore. Paritas est in nostra Prædestinatione; ideò enim per merita assequimur in tempore gloriam, quia Deus ab æterno decreto suo executivo voluit, sic assequendam. Alii tandem dicunt, non repugnare principium efficiens tantum meriti cadere sub merito, sed id non coherere cum principiis positis. Enim verò quod causat per modum efficientis necessario existit; quod autem jam existit, non potest sibi mereri, ut existat Insuper meritum etiam causat per modum efficientis; idem ergo est causa, & effectus in eodem genere cause.

Verius ergo arbitror cum doctissimo Sylvio, antiquos Patres non meruisse Incarnationem Christi, nisi de congruo latè sumpto, pro impetratione Incarnationis exequendæ, ex divina bonitate. Et hoc tum propter rationem datam, quod Incarnatio, &

merita Christi sint fundamentum, & principium totius meriti non effectus: tum quia alioquin sequeretur 1. Patres meruisse aliquid melius, quam Christus ipse meruit. 2. Quod Incarnatio non esset opus puræ misericordiæ; meritum enim de congruo strictè importat aliquid jus saltem amicabile ad præmium, tanquam ad recompensationem, & retributionem. 3. Quod Christus esset Patribus debitor suæ Incarnationis, item gratiæ, & gloriæ, quæ consequuntur ad Incarnationem. Hæc autem sunt absurdæ.

Ad D. Thom. Quidam ipsum intelligunt de merito quarundam circumstantiarum Incarnationis, veluti quod tali tempore, de tali populo nasceretur. Alii intelligunt de congruo latè sumpto, ita ut mereri idem sit, quod impetrare, & meritum accipiatur pro opere, quo fiebat, ut, attenda divina bonitate, congruum esset, ut exaudiret illos, qui ei obediebant propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum. Ita respondet laudatus Sylvius.

Et revera S. Doctorem alterutro sensu, maxime secundo esse intelligendum patet: 1. quia hic art. 11. o. generaliter resolvit, quod Incarnatio non possit cadere sub merito, quia est principium meriti; hæc autem ratio non minus militat pro merito de congruo strictè, quam pro merito de condigno. 2. Quia ibidem ad 3. negat, B. Virginem meruisse Incarnationem. Quod B. Virgo, inquit, dicitur meruisse portare Dominum omnium, non quia meruit ipsum incarnari, sed quia meruit ex gratia sibi data illum puritatis, & sanctitatis gradum, ut congruè posset esse Mater Dei. Et in 3. d. 4. q. 3. art. 1. ad 6. ait: *Quod Beata Virgo non meruit Incarnationem; sed supposita Incarnatione, meruit, quod per eam fieret, non quidem merito condigni, sed merito congrui.* Ex quo manifestum est juxta S. Doctorem, quod nec merito congrui B. Virgo meruerit Incarnationem. Nullatenus autem est verisimile, id ipsum concessisse Patribus S. Virginis longè inferioribus.

Inst. Meritum de congruo strictè illud est, quod fundatur in amicitia mutua merentis, & præmiantis; atqui SS. Patres, qui petebant Incarnationem, erant amici Dei: ergo. R. Maj. esse veram, quando nihil obstat rationi meriti: hic autem obstat, quod Incarnatio sit principium meriti, & non possit esse ejus effectus.

ARTICULUS IV.

Quæ fuerit causa physica Incarnationis.

Dico 1. Nulla creatura fuit, aut esse potuit causa principalis efficiens Incarnationis, sed solus Deus. Prob. 1. ex Scriptura. Habacuq. 3. de Incarnatione dicitur: *Dominus opus tuum.* Et Ps. 133. dicitur, quod Deus faciat mirabilia solus. Omnium autem mirabilium maximum est Incarnatio; ergo. Ratio etiam evincit, ad tantum, ac tale miraculum requiri virtutem infinitam.

Quæstio est potissimum de causa instrumentalī respectu B. Virginis.

Dico 2. B. Virgo non fuit causa instrumentalī conjunctionis humanitatis cum Verbo. Hæc conclusio insinuat ex auctoritatibus cit. non enim proprie dicitur Incarnatio opus solius Dei, si B. Virgo illi cooperata fuisset etiam instrumentaliter. Adstipulatur auctoritas D. Thom. infra q. 31. art. 5. & q. 32. art. 4. o. ubi ait: in ipsa Conceptione Christi B. Virgo nihil activè operata est, sed solum materiam ministravit.

Prob. ratione. Concursum instrumentalem ad conjunctionem humanitatis cum Verbo ideo aliqui adstrunt, ad salvandam Materitatem Dei in B. Virgine, atque ad id non requiritur: ergo perperam ei tribuitur. Prob. Min. Ut B. Virgo verè sit, & dicatur Mater Dei, sufficit, quod exercerit in conceptione Christi illum concursum, quem matres alie exercere solent in conceptione suorum filiorum; atqui hunc exercuit B. Virgo erga Christum, absque eo quod debuerit esse causa instrumentalī respectu illius Incarnationis: ergo. Prob. Min. in sententia Aristotelis, & D. Thom. Mater non concurrit activè in generatione prolis, sed passivè tantum ministrando materiam humano conceptui, & hoc, in loco ad eum conceptum naturali, vi semini virilis elaborandam ad perfectam organizationem; atque id totum præstitit B. Virgo respectu Christi, excepto quod materia, quam ministravit, non virili semine, sed mystico spiramine fuerit elaborata, usque ad perfectam organizationem, & ultimam dispositionem ad recipiendum animam rationalem, ex cuius unione cum corpore resultante debebat connaturaliter subsistentia creata tanquam terminus completivus generationis: sed loco illius in eodem instanti substituta fuit subsistentia Verbi, quæ ultimo complevit, & terminavit concursum passivum B. Virginis, & operationem activam Spiritus S. supplementis vices viri: ergo. Et esto secundum Medicos mater concurreret activè, eodem modo ratiocinandum foret de concursu ejus activo, ac diximus de concursu ejus passivo.

Con-

Confir. Esto B. Virgo foret elevata, ut instrumentum Incarnationis, non ideo foret Mater Dei; tum quia concursus matris est principalis; tum quia creatura etiam inanimata potuit de potentia Dei absoluta ad id elevari, quæ tamèn non foret ideo Mater Dei.

Dices. Ambros. Ep. 82. & Bernard. Hom. 4. dicunt, per B. Virginem carnem fuisse junctam Divinitati. Et Isichius Hom. 2. de Deipara, vocat illam *Instrumentum Incarnationis*: ergo. R. Ambrosium, & Bern. intelligendos esse de junctione, non effectiva, sed dispositiva, quatenus subministravit, & præparavit materiam, quæ efformata in humanitatem juncta fuit Verbo. Isichius autem nomen instrumenti sumpsit latè pro omni eo, quod concurrat aliquo modo ad productionem alterius.

DISSERTATIO VI.

DE PERSONA ASSUMENTE.

Div. Thom. Quæst. 3.

ARTICULUS I.

Solvuntur Objectiones.

Utrum proprium sit personæ Divinæ, naturam alienam terminare?

Dico. (Hic q. 3. art. 1. ad 2.) Ità proprium est personæ divinæ naturam alienam terminare, ut id repugnet omni personalitati creatae vel creabili.

Prob. (Ibid.) Personalitas finita non potest terminare nisi naturam propriam; atque omnis personalitas creata, vel creabilis est finita: ergo. Patet. Min. Prob. Maj. Personalitas finita habet suam limitationem, & speciem a natura, cujus est complementum, & terminus, ita ut subsistentia equi, verbis gratia, non distinguatur a subsistentia hominis, nisi quia illa est equi, ista hominis, ergo non potest loco alterius subsistentiæ subrogari, nec nisi propriam naturam terminare. Ant. est certum; cum enim subsistentia sit modus, & terminus naturæ, non dat speciem naturæ, sed eam supponit, & ab ipsa specificatur, sicut totum quod est terminus, & complementum partium, ab ipsis limitatur, & specificatur. Patet etiam Cons. Quia hoc ipso quo subsistentia desumit speciem a natura, & talis est speciei, quia ralem naturam terminat, implicat, quod eadem manens terminet aliam naturam, alias foret eadem, ut supponitur, & non foret, quia esset alterius naturæ, & speciei; sicut implicat, totum inveniri, & communicari extra suas partes, quia ab ipsis specificatur, resultat, & limitatur.

Alterè autem dicendum de subsistentia divina, quæ ratione infinitatis nullo genere, nulla specie clauditur. Undè, sicut natura divina continet formalitè eminentèr omnium naturarum possibilium perfectionem, ita & subsistentia divina terminando naturam sic infinitam continet formalitè eminentèr omnium subsistentiarum possibilium virtutem; adeoque apta est quascumque terminare.

Confir. Subsistentia, quæ posset terminare duas naturas, posset terminare infinitas, adeoque esset infinita in ratione terminandi; ubi enim pluralitas non facit differentiam, nec illam faceret infinitas, si esset possibilis, ut ait Aristot. 4. phys. textu 76. ex quo infert, quod, si duo corpora possent esse simul in eodem loco, possent & infinita, si darentur. Atqui nulla subsistentia est infinita nisi increata: ergo.

Prob. 1. & simul præcluditur evasio adversariorum, qui distinguunt inter potentiam naturalem, & supernaturalem, inter potentiam ordinariam, & extraordinariam. Nulla personalitas creata potest naturalitè terminare alienam naturam: ergo nec supernaturalitè, aut de potentia Dei absoluta. Ant. est certum. Prob. Cons. Juxta communem Philosophorum doctrinam in causis formalibus non currit distinctio potentie ordinariæ, & extraordinariæ; atque subsistentia creata habet rationem formæ, & actus substantialis naturæ, quam terminat: ergo, si non possit naturalitè, &c. Min. est certa. Maj. ultra quod communitèr tradatur a Philosophis, patet ex hoc, quod causa formalis non causat nisi communicando seipsam; effectus enim formalis est ipsa forma communicata, in quo differt a causa efficiente, quæ producit aliquid a se distinctum: ergo, quantumcumque applicetur a causa supernaturali, nihil amplius efficit, nisi communicare seipsam. Neque dicas, posse augeri vim ejus cavandi; quia non causat, ut dictum est, nisi seipsam communicando: unde, quavis augeatur, nihil aliud efficit, nisi seipsam communicare. Et aliudè cum formæ substantialis non admittant magis, & minus, si quid ipsi addatur non erit amplius eadem forma, sed alia.

Dico 3. Tota Trinitas Incarnationem operata est. Insinuatur in Scriptura ad Galat. 4. *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere*: en Pater. Ad Philipp. *Semetipsum exinanivit, formam servit accipiens* en Filius. Matth. 1. *Quod in ea natum est, de Spiritu S. est*: en Spiritus S. Ergo. Prob. ratione. Omnia opera Dei ad extrà sunt toti Trinitati communia: ergo. Prob. Ant. Deus operatur ad extrà per omnipotentiam; atqui omnipotentia est communis tribus personis, non minus quam essentia: ergo non potest una persona operari ad extrà, quin operetur, & altera; adeoque opera Dei ad extrà toti Trinitati sunt communia. Undè sequitur, Filium duplicitèr se habuisse ad Incarnationem, effectivè per potentiam, & terminativè per subsistentiam; Pater autem, & Sp. S. effectivè tactum.

Obj. 1. Terminare plures naturas non arguit infinitatem in persona terminante: ergo. Prob. Ant. Personalitas divina prout ab essentia distincta non est infinita; atque tamèn ut sic de facto plures terminat naturas, divinam scilicet, & humanam, & infinitas terminare posset: ergo terminare alienam naturam non arguit infinitatem. Prob. Ant. Si personalitas divina, prout distincta ab essentia, esset infinita, sequeretur aliquam infinitatem competere Filio, quæ non competeret Patri, & vicissim; atque hoc dici non potest: ergo. R. N. Ant. Ad Prob. D. Maj. Personalitas divina, prout ab essentia distincta, non est infinita infinite perfectionis, transeat Maj. Non est infinita infinite terminativa, N. Maj. Igitur personalitas divina duo præstat naturæ alienæ, quam terminat, 1. perseitatem independentiæ; & quia hoc est perfectio, id præstat ratione subsistentiæ absolutæ, quam implicat, & in qua transcendentalièr imbibitur. Aliud autem, quod præstat, est perseitatem incommunicabilitatis; & quia id non dicit perfectionem, illam præstat ratione illius, quod explicat: & sub illa ratione licet non sit infinita infinite perfectionis, est tamèn infinita in ratione terminandi, tum quia naturam infinitam terminat, tum quia potest terminare in infinitum sinecategorice. Undè patet responsio ad probationem: sicut enim, licet a pluribus reputetur inconveniens, quod perfectio aliqua competat Patri, & non Filio, & e contra; non tamèn quod aliqua entitas non explicans perfectionem, v. gr. filiatio conveniat Filio, quæ non convenit Patri; ita similiter non est inconveniens, quod aliqua infinitas terminativa uni personæ conveniat, quæ alteri non convenit. Confer Tractatum de Trinit. Dissert. 3. art. 5.

Inferes: Ergo Pater non est in omni linea infinitus. R. D. Illationem. Pater ratione paternitatis non est in omni linea infinitus, C. est enim sub hac ratione infinitus in sola linea paternitatis; ratione naturæ, N. Sub hac enim ratione est formalitè infinitus in linea naturæ, & identicè in omni linea; quia natura divina cum omnibus, quæ sunt in Deo, sive absolutis, sive relativis identificatur.

Inst. Terminare naturam alienam non est effectus infinitus, ergo non exigit infinitatem in causa. R. D. Ant. Non est effectus infinitus in ratione entis, C. in ratione effectus formalitèr, N. Ant. & Cons. sic, licet effectus creationis sit ens finitum, quia tamèn in ratione effectus formalitèr est infinitus, exigit causam infinitam.

Repones. Sol continet eminentèr effectus causarum inferiorum, & tamèn est aliquid finitum: ergo a pari non repugnat dari aliquam subsistentiam creatam superioris ordinis, quæ eminentèr continet virtutem personalitatum inferiorum. R. N. Cons. & paritatem. Disparitas est 1. Quod sol causat per modum cause efficientis; subsistentia verò per modum cause formalis, ut dictum est. 2. Sol continet aliarum causarum effectus eminentèr imperfectè quoad rationes genericas tantum, puta viventis, aut corporis corruptibilis; subsistentia verò terminans plures naturas earum subsistentias debet eminentèr continere quoad rationes earum specificas, & individuales; quod non magis potest, quam possit natura, cujus est terminus, & a qua specificatur; continere aliarum naturarum rationes specificas, & individuales. Hoc soli subsistentiæ divinæ competit; quæ, cum terminet naturam eminentèr continentem omnes rationes specificas, & individuales aliarum naturarum, continet ideo omnes perfectiones specificas, & individuales aliarum subsistentiarum.

Obj. 2. Non implicat contradictionem, ut ea, quæ sunt natura-

tu-

turaliter determinata ad unum effectum, vel terminum, supernaturaliter extendantur ad alia: v. g. quod idem corpus sit in diversis locis, accidens in diversis subjectis, eadem forma in diversis materiis ergo similiter. R. Dato Ant. cum suis exemplis. N. Cons. Disparitas est, quod ea, quae afferuntur, habeant ex se speciem, & determinationem: unde ex eo quod extendantur ad alia, a quibus specificationem non habent, non amittunt suam speciem, & determinationem, sed solum variantur termini eorum materiales. At verò subsistentia habet limitationem, & speciem a natura, quam terminat: unde, si aliam terminaret naturam, suam speciem amitteret.

ARTICULUS II.

Per quid immediate terminetur natura humana in Christo? An per aliquid absolutum, vel per aliquid relativum?

Suppono ex Tract. de Trinit. præter tres subsistentias relativas, & incommunicabiles dari insuper in Deo secundum se, & ut personis præintellecto, subsistentiam absolutam, per quam natura divina per se subsistit, non quidem incommunicabiliter, sicut personæ, sed communicabiliter. Existimavit Durandus, unionem humanitatis immediate factam esse ad subsistentiam absolutam Dei, mediata autem ad proprietatem relativam Filii, quia existimavit proprietates relativas non esse subsistentias.

Dico. (Ibid. art. 2. & 4. o.) Ratio formalis terminandi naturam humanam est subsistentia relativa; seu Verbum terminavit naturam humanam formaliter, & proximè per propriam personalitatem, seu subsistentiam relativam, per quam constituitur in ratione personæ distinctæ a Patre, & Spiritu S. non per subsistentiam absolutam, & communem.

Prob. 2. Auctoritate Concilii Tolet. 6. & 11. in confessione fidei, ubi sic habetur: *Incarnationem Filii tota Trinitas operata est, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis; solus tamen Filius formam servat accepti in singularitate personæ, non in unitate naturæ divine, in id, quod proprium est Filii, non quod Trinitati commune est.* Et in Synodo 6. Act. 8. dicitur ex S. Dionysio c. 2. de Divin. Nomin. *Quid Pater, & Spiritus S. nihil in Incarnatione habent commune, nisi benignissimam voluntatem.* Prob. ratione insinuata in præfatis auctoritatibus. Si Verbum terminaret naturam humanam formaliter, & proximè per subsistentiam communem, & absolutam, Pater, & Spiritus forent incarnati non minus, quam Filius; atqui falsum Consequens ergo, & Ant. Prob. Sequela. Quod convenit alicui personæ Trinitatis ratione alicujus attributi absoluti, & communis, convenit toti Trinitati: sic quia creatio, conservatio, gubernatio, imò, & ipsa actio unitiva Incarnationis conveniunt uni personæ ratione omnipotentis, conveniunt omnibus: ergo.

Dices cum Durando, humanitatem non solum esse unitam immediate subsistentiæ absolutæ, sed etiam mediata proprietati relativæ Filii; unde fit, quod Filius solus sit incarnatus, non Pater, & Spiritus S., nisi cum addito, in quantum scilicet sunt hic Deus, non autem in quantum sunt tales personæ. Sed contra instatur ratio jam facta: Quæ competunt Deo ratione alicujus attributi absoluti, & communis, competunt personis, & de illis absolute, & sine addito prædicantur: sic quia creare convenit Deo ratione potentis, absolute, & sine addito de qualibet persona prædicatur: ergo, si terminare naturam humanam conveniat Deo ratione subsistentiæ communis, & absolutæ, convenit & omnibus personis, & de illis poterit dici simpliciter, & absolute, quod sint incarnate, & homines factæ. Quod autem dicit Durandus, Patrem, & Spiritum S. posse dici incarnatos cum addito, hoc est in quantum sunt hic Deus, temeritate non vacat, cum nullus Patrum ita loqui ausus fuerit.

Hinc sequitur 1. etiam explodendam esse alteram sententiam, quæ dicitur esse Victoris, Soto, &c. nimirum, Verbum terminare humanitatem per subsistentiam absolutam, & communem, non quidem præcisè, & absolute sumptam, sed ut modificatam proprietate relativæ Filii: quia in hac sententia ut in priori sequeretur pariter, Patrem, & Spiritum S. esse incarnatos. Prob. Sequela. Quod convenit alicui personæ ratione alicujus attributi communis, etsi appropriati, & proprietate relativa modificati, convenit omnibus; v. g. quia creare convenit Filio ratione omnipotentis, quæ omnibus communis est, non potest ratione illius, etiam ut ipsi appropriatæ, & relativa proprietate modificatæ, quidquam creare, nisi Pater, & Spiritus S. simul creent: ergo pariter non potest terminare naturam humanam ratione subsistentiæ communis, etsi ipsi appropriatæ, & proprietate relativa modificatæ, nisi Pater, & Spiritus S. simul eam terminent.

Sequitur 2. Verbum terminare mediata, & secundario humanitatem per subsistentiam communem, & naturam; quia subsistentia personalis immediate terminans identificatur cum abso-

luta, & natura. Ne tamen inde inferas, Patrem, & Spiritum S. posse dici mediata incarnatos, eò quod identificatur ipsi naturæ, & subsistentiæ communis: id enim non sufficit, sed debent identificari cum termino immediato scilicet personalitate Verbi, a quale contra realiter distinguuntur. Sequitur 3. Subsistentiam communem, & essentiam divinam posse dici rationem radicalem, & remotam terminandi naturam humanam; quia inde oritur in subsistentia relativa vis infinita, & perfectio terminandi. Sequitur 4. merito olim damnatos fuisse Hermogenem, & Praxeam, de quibus Aug. & Epiphanius. lib. de Hæres. Item Sabellianos, seu patripassianos, qui dogmatizabant, Filium non potuisse incarnari, & pati absque Patre, cum quo esset eisdem naturæ. Sequitur 5. Nihilominus Patrem, & Spiritum S. esse in humanitate Christi, non solum ratione immensitatis, sed etiam per concomitantiam ratione Incarnationis, ita ut si per impossibile personæ divinæ non forent ubique ratione immensitatis, & infinitatis, forent tamen in humanitate Christi ratione Mysteriorum Incarnationis. Ratio est: Verbum est in humanitate ratione hujus Mysteriorum, Verbo identificatur divinitas, divinitati identificatur personæ divinæ: ergo personæ divinæ ratione hujus mysteriorum sunt per concomitantiam in humanitate Christi.

Si dicas: Pater, & Spiritus S. non sunt concomitantè in Eucharistia ratione consecrationis, alius sequeretur, quod manducaremus, & sacrificaremus Patrem, & Spiritum S. quod falsum est: ergo nec in humanitate Christi. Prob. Sequela. Manducamus, & sacrificamus id, quod in Eucharistia est per concomitantiam, scilicet divinitatem Verbi: ergo. R. N. Ant. Ad prob. N. Sequela. Ad prob. D. Manducamus, & sacrificamus, quod est per concomitantiam immediatam, C. mediata, N. Natura autem Verbi est in Eucharistia per concomitantiam immediatam; in quantum pari passu procedit cum Verbo, & æquè immediate comitatur corpus, quod Verbum hypostaticè sustentat, ac ipsum Verbum. Pater autem, & Spiritus S. sunt ibi mediante divinitate ut sic, & divinitas, mediante divinitate Verbi, seu Verbo.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Deitas potest immediate communicari humanitati, absque eo quod ipsi immediate communicentur personæ: ergo ruit fundamentum conclusionis. Prob. Ant. Natura divina de facto communicatur Filio, & non paternitas: ergo similiter. R. N. Ant. Ad prob. N. Conseq. Disparitas est, quod oppositio relativa, quæ reperitur inter personas divinas, impedit, quin una alteri communicetur; at vero inter humanitatem, & personalitates Patris, aut Spiritus S. nihil obstat, quominus istæ illi communicentur, si & ipsa natura immediate communicaretur.

Obj. 2. Personalitas Verbi identificatur cum natura: ergo non potest humanitas immediate uniri personalitati, quin & ipsi naturæ. R. D. Ant. Personalitas Verbi identificatur cum natura sub distinctione virtuali, C. sine distinctione virtuali, N. Hæc autem virtualis distinctio sufficit, ut filialis immediate terminet: non natura; sicut sufficit, ut natura communicetur, & non Paternitas.

Inst. 1. Quia visio beatifica terminatur ad essentiam divinam ut est in re, non potest non terminari ad relationes, ut docetur in Tract. de visione beatifica; atqui personalitas Verbi, ut est in re, terminat naturam humanam: ergo non potest eam non terminare natura quæcumque indentificatur, licet virtualiter ab ea distinguatur. R. N. Conseq. Disparitas est, quod visio Dei cum sit intuitiva, quidditativa, & beatifica, ex hoc multiplici capite exigit attingere omne, quod in Deo est, ut probatur loco citato; at verò humanitas terminata subsistentia Verbi non exigit terminari absolute: communicatio autem alicujus rei fit secundum exigentiam termini, cui fit communicatio. Adde, quod humanitas terminetur etiam ad naturam, & subsistentiam communem, sed mediata, ratione scilicet subsistentiæ Verbi.

Inst. 2. Humanitas terminata per subsistentiam relativam, exigit terminari per absolutam: ergo. Prob. Ant. Humanitas exigit non solum perseitatem incommunicabilitatis, sed etiam perseitatem independentem; atqui subsistentia relativa confert tantum perseitatem incommunicabilitatis; altera autem perseitas habetur a subsistentia absoluta, ut diximus art. præced. & in Tract. de Trinit. R. N. Ant. Ad probat. D. Min. Subsistentia relativa ratione ejus, quod explicat, confert tantum perseitatem incommunicabilitatis, C. ratione ejus, quod implicat. N. Cum enim identificatur cum essentia divina, quæ ipsi transcendentaliter imbibitur, implicat, & continet omnimodam perfectionem, adeoque & perseitatem independentem: quod sufficit ut illam communicet humanitati; sicut sufficit, ut illam communicet personæ divinæ, quam constituit.

Obj. 3. Natura divina, quæ est communis tribus personis ut modificata paternitate, est principium generans: ergo simili-

ARTICULUS IV.

Utrum plures personæ divinæ possint simul, vel divisiim assumere eandem numero naturam humanam? Et e contra.

An plures humanitates possint simul ab eadem persona divina assumi?

Dico 1. (Ibid. art. 5. o.) Quælibet ex personis divinis potest terminare naturam humanam, eique hypostaticè uniri. (Ibid.) Prob. Assumere naturam alienam convenit Deo ratione omnipotentis, ut principii assumptis, & ratione personalitatis, ut termini assumptionis; atqui quælibet ex personis divinis habet omnipotentiam, & personalitatem propriam in terminando infinitam: ergo. Nec refert, quod, si Pater incarnaretur, esset simul Pater, & Filius; id enim foret secundum diversas naturas, quod non repugnat: neque pareret confusionem in re, sed ad summum in sermone: quo sensu intelligenda sunt verba Anselmi lib. de Incarnat. cap. 4.

Dico 2. (Ibid. art. 6. o.) Plures personæ divinæ possunt eandem simul naturam humanam terminare, eique hypostaticè uniri. Est communis contra Scotistas. (Ibid.) Prob. Non est repugnantia, neque ex parte personarum terminantium, neque ex parte naturæ terminabilis: ergo nulla. Prob. Ant. pro 1. parte. Personæ divinæ non se excludunt a convenientia in eadem natura, cum omnes terminent simul eandem naturam divinam: ergo. Prob. pro 2. parte. 1. Totā ratio facti in hoc mysterio est potentia facientis, ut dicit Aug. Ep. 3. ad Volus. Ergo de illo judicandum est magis secundum conditionem personæ assumptis, quam secundum conditionem naturæ assumptæ. Subsumo: Atqui non repugnat ex parte personæ assumptis, ut dictum est ergo nec ex parte naturæ assumptæ. Conf. Natura humana est terminabilis a persona divina, non ratione potentis naturalis, sed obedientialis; atqui ex parte hujus potentis non oritur repugnantia, si ex parte termini non oriatur: ergo.

Dices 1. Ideo natura divina potest terminari tribus subsistentiis, quia est infinita: ergo non valet consequentia ad naturam creatam, quæ finita est. R. infinitatem esse rationem, cur divina natura conaturaliter terminari possit tribus subsistentiis, & ut idem re cum ipsis; natura vero creata est terminabilis supernaturaliter, seu obedientialiter, & ut quod distinctum ab illis.

Dices 2. Ex hac conclusione sequitur 2. naturam humanam fore communicabilem ulteriori supposito, ut supponitur, & incommunicabilem, quia de ratione subsistentiæ est reddere naturam incommunicabilem ulteriori supposito, 2. Esse simul adequatè terminatum, & non adequatè terminatum, utpotè alterius terminabilem. 3. Pendere a duplici termino totali, & adequato; quod non minus repugnat, quam eundem effectum produci a duabus causis totalibus, idem accidens esse in diversis subjectis, idem corpus in diversis locis circumscriptivè, eandem lineam terminari diversis punctis: ergo.

R. ad 1. esse de ratione subsistentiæ create reddere naturam incommunicabilem ulteriori supposito, ut dicemus infra; non autem de ratione subsistentiæ infinite, ut patet in divinis. Unde quod habet natura divina conaturaliter ex intrinsicis, quod possit communicari pluribus personis, hoc habet natura creata participativè ratione potentis obedientialis, & ubi est quodammodo infinita.

Ad 2. dico, in hoc casu naturam fore adequatè terminatam intensivè, sed non extensivè, & sic ulterius adhuc esse terminabilem extensivè. Sic Paternitas in creatis adequatè intensivè terminatur per unicum filium, est tamen adhuc terminabilis extensivè per plures alios, si adveniant. Per intensivè autem intelligimus perfectionem terminationis. Per extensivè modum terminationis. Unde adequatè intensivè terminatum per aliquod, sed non extensivè, non erit quidem perfectius terminatum per aliud, sed tantum pluribus modis terminatum. Igitur una persona divina terminando naturam divinam eminentèr habet posse terminare naturam creatam contentam in divina: & sicut terminando naturam divinam relinquit locum alteri personæ, ut possit simul terminare eandem naturam, non quia non terminat eam omnimoda perfectione, sed quia non omni modo, seu omni extensione; Pater enim terminat ut persona ingenta, Filius ut genita, Spiritus S. ut spirata: ita similiter terminando eminentèr naturam creatam, relinquit alteri personæ locum, ut possit simul terminare: non quod perfectissime non suppleat quidquid perfectionis personalitatis creata conferre possit, sed quia sola non communicat omnem modum terminationis eminentialis, quo suppleri potest: neque assert omnem modum eminentialis continendi, qui est in alia persona; adeoque non exhaustit totam terminabilitatem naturæ ab alio supposito eminentialis.

Et hinc patet solutio ad 3. Licet enim verum sit, eundem omnino effectum non posse pendere a duplici causa totali, & adequata, quando omni modo est totalis, & adequata, tam quo-

liter subsistentia absoluta, licet communis tribus personis, ut modificata subsistentia relativa, est ratio terminandi humanitatem. R. N. Conseq. Disparitas est 1. quod generatio non supponat tres personas Trinitatis, cum sit generatio unius, unde tribus convenire non potest, sed solum ea, quæ est ingenta. At terminatio naturæ humanæ supponit tres personas: unde, si fiat primò per se ratione alicujus absoluti, omnibus convenit. 2. Generare est agere; unde debet assignari hujus actionis notionalis principium quo, quod est natura, & principium quod, quod est persona; at verò terminare humanitatem non est actio in illam, sed purus terminus; & idè id, quo fit hæc terminatio, non debet esse natura, sed personalitas, cujus proprium est terminare naturam.

Obj. 4. Secundum Thomistas, Humanitas existit formaliter per existentiam divinam absolutam, & tribus personis communem, ut dicemus infra ad q. 17. D. Thom. Quidni ergo subsistat per subsistentiam communem? R. Disparitatem esse, in quod unio humanitatis ad existentiam divinam non sit immediata, sed ex consequenti tantum, & mediante personalitate Verbi.

ARTICULUS III.

Utrum Deus secundum se abstracto a Personalitatibus relativis possit naturam alienam assumere?

Questio duplici sensu intelligi potest. 1. An, si natura divina intelligeretur sine relationibus personalibus, ita ut consideretur hic unus Deus, non trinus in personis, qualem imaginatur Ethnicus, posset naturam alienam assumere? 2. An supposito, quod sint in Deo tres personæ, ut fides docet, posset tamen natura divina, seu hic Deus ut communis tribus personis, ratione subsistentiæ absolute assumere communem naturam.

Dico 1. (Ibid. art. 7. o.) Hic Deus unus, abstractis personalitatibus, potest intelligi assumens naturam alienam. Prob. (Ibid. in a. s. c. & ad 2.) Quia in hac hypothesi remaneret Dei omnipotentia, per quam facta est Incarnatio: remaneret & una personalitas Dei, ut Judei intelligunt, ad quam posset terminari assumptio; sicut nunc dicimus eam terminari ad personam Verbi: ergo.

Dico 2. Deus trinus in personis posset ratione subsistentiæ absolute assumere naturam alienam, subsistentiis relativis eam secundario tantum terminantibus. Est communis inter Thomistas, qui agnoscunt in Deo subsistentiam communem, & absolutam, distinctam a subsistentiis relativis, per quæ constituuntur propria, potest esse illi ratio subsistendi in natura aliena. Id per se manifestum est; non enim alia de causa subsistentia relativa Verbi est illi ratio subsistendi in natura humana, quam quia est illi ratio subsistendi per se primò in propria natura: atqui subsistentia communis, & absoluta est Deo ratio subsistendi in propria natura, id probatum suppono ex Tract. de Trinit. Disert. 4. art. 3. Ergo.

At statim obvia se offert difficultas. Ista natura humana terminata per subsistentiam absolutam foret homo, & non persona, quod implicat. Prob. Assumptum. Persona per se subsistit incommunicabiliter: atqui subsistentia absoluta non confert perseitatem incommunicabilitatis, sed independentiam tantum: ergo. R. N. Assumptum. Ad prob. D. Min. Subsistentia communis, & absoluta non tribuit incommunicabilitatem formaliter, & per se, C. Min. concomitantèr, & mediata, N. Min. Hoc ipso enim quod natura humana uniretur primario, & immediate subsistentiæ communi, & absolute, uniretur etiam secundario, & mediata subsistentiis relativis, a quibus haberet incommunicabilitatem.

Dices insuper: Patres, & Concilia non cognoverunt aliam unionem possibilem naturæ create in Deo, nisi vel in natura, vel in persona: unde arguebant, quod si non esset in natura, ergo esset in persona, vel nulla. Ita Concil. Tolet. 6. & 11. S. Anselmus lib. de Incarnat. cap. 4. D. Thom. q. præcedenti art. 2. o. atqui unio naturæ create facta subsistentiæ absolute, & communi, non esset unio, neque in natura, neque in persona: ergo. R. 1. ad Maj. Equidem Patres, & Concilia non meminisse nisi duplicis unionis, in natura scilicet, vel in persona, non quidem quod aliam impossibilem judicarent, sed quia hæretici, contra quos agebant, Nestoriani scilicet, & Eutychiani, de illa tantum duplici unione contendebant. Unde ex concessis, sen ut dicitur argumento ad hominem, contra illos inferebant unionem esse factam in persona, ex hoc quod non esset facta in natura. R. 2. ad Min. hanc unionem in nostro casu equidem non fore ad personam immediate, & per se primò, quia hic Deus sic consideratur persona non est; ex consequenti tamen necessario fore etiam ad personam, quia terminaretur primò ad subsistentiam absolutam, secundario, & mediata terminaretur ad subsistentias relativæ, ut jam diximus.

quoad rem, quam quoad modum, ita ut una nihil amplius etiam quoad modum causet, quam altera: secus tamen si aliquid amplius tribuat, aut idem novo modo; tunc enim non est omnibus modis totalis, & adequata, sed solum quoad aliquid, videlicet quoad substantiam effectus, non quoad modum, seu extensionem. Patet in relatione paternitatis, de qua supra, vel in relatione similitudinis unius albi ad aliud album. Porro quolibet personalitas divina terminat, & quidem admodum intensivè, seu quoad perfectionem, naturam assumptam, sed non admodum extensivè, seu omnibus modis, ut dictum est de terminatione divinæ naturæ.

Quoad exempla objecta, patet responsio ad 1. Ad 2. de accidente posset negari Ant. si intelligatur supernaturaliter. Sed hoc dato, N. Conseq. quia accidens individuat a subjecto, non autem natura a personalitate. Ad 3. & 4. de corpore bilocato circumscriptivè, & duplici puncto terminante lineam, disparitas est, quod tam unus locus circumscriptivus respectu ejusdem quantitatis, seu corporis, quam unum punctum respectu ejusdem lineæ, sint termini totales, & adequati non solum intensivè, sed etiam extensivè, cum alter locus, & aliud punctum non contineat eminentè virtutem novo modo terminandi idem corpus, seu eandem lineam. Sicut quilibet persona alio, & alio modo terminando naturam divinam potest terminare eminentè alio etiam, & alio modo naturam creatam in illa contentam. Est hæc subtilis doctrina Cajetani, quam communiter adoptant nostri Thomistæ.

Inst. Divina persona non potest assumere humanitatem propria personalitate terminatam, ut dicitur Dissert. seq. ergo nec terminatam aliena. R. N. Conseq. Disparitas est, quod humanitas terminata propria personalitate sistat in se; si autem terminaretur ulterius aliena personalitate, sisteret in se, & non in se, sed in alio, quod implicat. At quod terminata aliena personalitate sistat in alio, non implicat quod sistat in altero alio, novo modo. Sed de hæc difficultate latius Dissert. seq. art. 1. §. 2.

Dices 3. D. Anselmus libe. de fide Trinit. & Incarnat. c. 4. dicit: Quapropter impossibile est, Deo incarnato secundum unam quamlibet personam, illum secundum aliam quoque personam incarnari. Ergo. R. Etsi a quibusdam admittatur, Anselmum in hoc nobis adversari, posset tamen intelligi hoc sensu, quod velit non posse plures personas eandem naturam assumere, sic ut ex illa assumptione resultat tantum una persona. Patet ex ejus scopo, qui est probare, Patrem, & Spiritum S. non assumpsisse humanitatem, quia in Christo est unica persona, & una persona non potest resultare ex natura pluribus personalitatibus terminata.

Dico 3. (Ibid. art. 7. o.) Una persona divina potest simul plures naturas humanas assumere. Prob. (Ibid.) Neque omnipotentia Dei, neque vis terminativa ejus est coarctata, aut exhausta per unam naturam creatam, cum utraque sit infinita: ergo. Confir. De facto una Verbi persona terminat naturam divinam, & humanam: ergo a fortiori potest terminare plures humanas.

Dices. Hinc sequitur, quod duæ naturæ corporeæ se penetrarent. R. N. Sequelam: quia ad veritatem Conclusionis non requiritur, quod suppositum divinum assumat in eodem loco duplicem illam naturam, sed ratione immensitatis possit hic unam assumere, alteram Romæ. Sed & concessa sequela supernaturaliter, nihil sequitur absurdi secundum Thomistas.

Dico 4. (Ibid. art. 6. ad 1. & art. 7. ad 2.) Si plures personæ divinæ assumerent unam naturam humanam, aut una persona assumeret plures naturas, in utroque casu diceretur unus homo, non plures homines. Prob. Ad multiplicationem nominis concreti substantivi requiritur multiplicatio formæ, & suppositi; Atqui homo est nomen concretum substantivum, & in 1. casu non multiplicaretur forma, in 2. non multiplicaretur suppositum: ergo. Maj. patet ex Regula Dialecticæ, quæ inter nomina concreta substantiva, & adjectiva statuit hoc discrimen, quod ad multiplicationem nominum substantivorum requiritur multiplicatio formæ, & suppositi; ad multiplicationem autem nominum adjectivorum sufficit multiplicatio subjecti. (Ibid. art. 7. ad 2.) Ratio autem hujus discriminis, juxta Auctorem, est, quia nominibus est utendum secundum quod sunt ad significandum imposita, quod quidem est ex consideratione eorum, quæ apud nos sunt: hoc est, quod debet attendi secundum usum communiter receptum inter homines. Porro secundum usum communiter receptum nomina concreta substantiva non multiplicantur, nisi multiplicatis formæ, & supposito, & contra adjectiva multiplicantur, multiplicato solo subjecto: sic, v. gr. quia in divinis est unica natura, licet sint tria supposita, seu tres personæ, dicitur unus Deus: e contra, quia in Christo est unum suppositum, licet duæ naturæ, dicitur unus Christus, non duo. Item in divinis non dicuntur substantivè tres omnipotentes, sed unus omnipotens; non tres æterni, sed unus æternus; prout usurpavit S. Athanasius in Symbolo contra Arianos: si autem sumantur adjectivè, rectè di-

cuntur tres omnipotentes, tres æterni. Item in humanis homo habens plures artes non dicitur plures artifices, habens plures filios non dicitur plures Patres: e contra verò si poneretur una albedo in duobus subjectis, dicerentur duo alba. Ratio (1. p. q. 39. art. 3.) ulterior hujus differentie hæc adfertur etiam ex D. Thom. quod nomina adjectiva significant formam per modum accidentis, seu adjacentis subjecto. Unde, cum accidens sicut habet esse in subjecto, ita & habet, saltim quoad nos, suam unitatem, aut pluralitatem a subjecto, consequenter nomina concreta adjectivè significantia unitatem, vel pluralitatem sumunt a subjecto. At verò nomina concreta substantiva significant juxta modum connaturalem substantiæ per se stantis, seu subsistentis: modus autem substantiæ proprius, & connaturalis est afferre suum suppositum, hoc ipso quo est per se subsistens. Unde ad multiplicationem nominis concreti substantivi requiritur pluralitas naturæ, & suppositi; naturæ quidem ut principii formalis, suppositi ut conditionis.

Dices 1. D. Thom. in 3. d. 1. q. 2. art. 5. ad 2. & 3. expressè docet contrarium secundæ parti Conclusionis: ergo. R. S. Doctorem hic art. 7. ad 2. hanc retulisse sententiam, & retractasse.

Inst. S. Doct. 1. p. q. 36. art. 4. & q. 39. art. 3. dicit, unitatem, & pluralitatem nominis substantivi attendi secundum formam significatam per nomen: ergo. R. cum Cajetano, Ferrarienti, Gonet, & aliis Thomistis, S. Thomam ibi velle pluralitatem nominis substantivi attendi secundum formam, tanquam secundum causam sufficientem, si nomen sumatur in abstracto, ut humanitas; si autem sumatur in concreto, attendi secundum formam, tanquam secundum causam requisitam, non tamen sufficientem, nisi accedat, saltim ut conditio, multiplicatio suppositorum; patet, quia ibid. q. 36. art. 4. ad 2. dicit, Patrem non esse duo principia, licet sit duplex ratio principiandi, quia est unicum suppositum.

Repones. S. Doct. hic art. 6. ad 1. dicit, quod in casu primæ partis Conclusionis non foret unus homo simpliciter, sed tantum secundum quid: ergo. R. N. Ant. Non enim dixit S. Doct., non fore unum hominem simpliciter, sed non fore unum simpliciter. Sicut in divinis est quidem unus Deus simpliciter propter unitatem naturæ, non tamen est unus simpliciter sed cum addito, unus Deus; quia unus masculinè insinuat unam personam, sicut unum neutralitè importat unitatem naturæ. Ita S. Thom. loco cit. & 1. p. q. 31. art. 2. ad 4.

Dices 2. Sicut una persona potest assumere duas humanitates, ita & posset assumere unam humanitatem, & naturam leonis simul, ut dicitur Dissert. seq. Ergo, sicut in 1. casu foret unus homo, ita in 2. foret unum animal. Subsumo: Atqui repugnat, unum & idem animal pertinere simul ad diversas species, utpote quæ contrahuntur per differentias oppositas: ergo. R. concessa Ant. & Illatione, D. Subsumptum: repugnat, unum, & idem animal unitate naturæ pertinere ad diversas species, C. Subsumptum; unum, & idem animal unitate suppositi, diversum autem in natura, N. Subsumpt. & Conseq.

Dices 3. Persona est nomen concretum substantivum; atqui non multiplicata natura multiplicatur ex sola multiplicatione suppositi, ut patet in divinis, ubi sunt tres personæ cum una natura: ergo. R. D. Maj. Persona est nomen concretum substantivum naturæ, N. Personæ, C. Hic autem agimus de concretis naturæ, in quibus importatur natura, & suppositum, non de concretis personæ, in quibus tantum habetur ratio personalitatis.


Dices 4. In casu primæ partis Conclusionis forent tres habentes humanitatem; atqui homo idem est, ac habens humanitatem: ergo forent tres homines. R. D. Min. homo idem est, ac habens humanitatem quoad rem significatam, C. Min. quoad modum significandi, N. Homo enim significat substantivè, habens humanitatem adjectivè. Unde, licet in Deo sint tres habentes Deitatem, non tamen sunt tres Dii. Similiter, licet quoad rem significatam homo idem sit, ac suppositum naturæ humanæ, forent tamen in hoc casu tria supposita naturæ humanæ, & unus homo, quia terminus numeralis præfixus huic termino suppositum, illud tantum multiplicat; præfixus autem huic termino homo multiplicat etiam humanitatem, quam homo de formalis significat.

Inst. In eo casu sequeretur, quod idem homo posset esse vivens, & mortuus, parvus, & magnus, albus, & niger, &c. Atqui: ergo. R. Hæc non repugnare ratione diversi corporis, & naturæ.

Corollaria.

EX dictis colliges 1. Quod, si Pater assumeret naturam jam assumptam a Filio, assumeret etiam omnia pertinentia ad esse talis naturæ: probabilis tamen non assumeret etiam mediata unionem hypostaticam Filii, neque pertinentia ad ejus esse per-

personale; quia hæc nullam habent dependentiam, aut connectionem necessariam cum natura assumpta. Colliges 2. quod, cum radix communicationis idiomatum sit identitas suppositi, in casu quo tres personæ assumerent eandem humanitatem, oriretur communicatio idiomatum inter hunc Deum, & hunc hominem quoad prædicata essentialia, & communia: item inter hunc hominem, & tres personas quoad prædicata notionalia, quia ubique reperiretur identitas suppositi; non tamen inter ipsas personas quoad prædicata personalia, quia semper inter se differret supposito. Hinc in illa hypotesi verum esset dicere: hic homo est Pater; non tamen: Pater est Filius. Colliges 3. quod, si Pater incarnaretur ex Maria Virgine, ex qua Filius est incarnatus, Pater esset filius matris sui Filii, & frater sui Filii, non tamen B. Virgo foret simul mater, & avia Christi, quia non esset Mater ejus Patris sub ea ratione, qua est Pater Filii sui, scilicet secundum naturam divinam, sed secundum humanam tantum.



DISSERTATIO VII.

DE NATURA ASSUMPTIBILI, ET ASSUMPTA;

NEC NON DE ORDINE ASSUMPTIONIS.

Div. Thom. QQ. 4. 5. & 6.

SECTIO IV.

De natura assumptibili.

§. 1. Utrum omnis natura completa sit assumptibilis a Verbo?

Dico 1. (Hic q. 4. art. 1. o.) Conveniens fuit, naturam humanam assumi a Verbo, quam aliam quæcumque. Prob. (Ibid.) Hæc major convenientia in natura humana potest attendi secundum duo; scilicet secundum dignitatem, & secundum necessitatem: secundum dignitatem, quia, cum sit rationalis, & intellectualis, nata est attingere aequalitè ipsum Verbum per suam operationem, cognoscendo scilicet, & amando ipsum: secundum necessitatem, quia lapsa per peccatum originale indiget reparatione. Atqui hæc duo simul soli naturæ humanæ conveniunt: ergo. Prob. Min. Creaturæ irrationalis deest congruitas prædictæ necessitatis: ergo. Prob. 2. pars Ant. prima enim patet: 1. Totam naturam Angelicam non cecidit sicut humanam. 2. Cecidit irreparabiliter, non quidem absolute, sed juxta modum divinæ providentiæ consentaneum, ut diximus in Tract. de Angelis. 3. Cecidit propria voluntate, natura autem humanæ voluntate aliena; unde hæc minus, quam illa miseratione est indigna: ergo. Verum istæ sunt convenientiæ rei factæ, non faciendæ, ut jam diximus alibi; ultima enim, & verissima hujus dispensationis causa sunt inscrutabilia Dei judicia. Poterat enim, ut modo dicebam, naturam Angelicam assumere, & liberare; & si voluisset, congruenter non defuissent.

Dico 2. Absolute loquendo, quælibet natura completa, etiam irrationalis, & Angelica, est assumptibilis a Verbo. Quoad Angelos, de quibus est major difficultas, est expressè D. Thom. hic ad 3. Prob. Talis assumptio non repugnat neque ex parte divinæ personæ, cujus vis terminandi est infinita; neque ex parte naturæ creatæ, quæ, cum distinguatur a sua subsistentia, etiam in Angelis, ut patebit ex Sol. Obj. potest ea privari, dum habetur, aut impediri, antequam habeatur, & a divina præveniari. Neque repugnat ex parte ignobilitatis cujusvis naturæ; ut enim dicit Greg. Nys. orat. catechetica cap. 27. Ex æquo distat omnis creatura a Deo. Unde Tertullianus lib. de carne Christi cap. 4. docet, Verbum divinum potuisse prodire de vacca, aut sue, si voluisset: ita ut hoc tantum sit turpe, & indecens Deo, si de nostro sensu judicamus Deum, non verò ex rei veritate: sic seclusa fide, indecens existimarem, divinam Majestatem assumere carnem nostram, flagellari, conspui, mori, &c. & tamen verè indecens non est. Quin imò de facto Verbum assumpsit naturam irrationalem, & insensibilem, cum triduo mortis mansit unum hypostaticè cadaveri, communicans ei suam personalitatem, non quidem sub ratione personalitatis, sed sub ratione subsistentiæ constituentis non personam, sed suppositum; quia creatura irrationalis est incapax denominari persona.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Sola illa natura potest assumi, quæ distinguitur a personalitate. Atqui juxta D. Thom. natura in Angelis non distinguitur a personalitate: ergo. Prob. Min. S. Doct. 1. p. q. 3. Theol. Bilhuart. Pars Tertiæ.

Quæritur, utrum fuerit convenientius, Filium incarnari, quam Patrem aut Spiritum S. R. (Hic q. 3. art. 8. o.) affirmativè. Prob. 1. (Ibid.) Quia, sicut per Verbum omnia facta sunt; ita convenientius erat, ut per Verbum omnia repararentur: Artifex enim per formam artis conceptam, qua artificiatum condidit, ipsum, si collapsum fuerit, restituit. Hæc ratio est etiam S. Aug. Tract. 17. in Joann. 2. Quia congruum erat, ut per eum, qui est Filius Dei naturalis, efficeremur filii Dei adoptivi. 3. Ut homo, qui per appetitum inordinatum scientiæ peccaverat, & perierat, per eum, cui attribuitur sapientia, repararetur.

Dices: Potentia creandi attribuitur Patri; atqui Incarnationis effectus est quædam mundi recreatio: ergo magis decessit, Patrem incarnari, quam Filium. R. (Ibid. ad 1.) primam creationem esse factam a potentia Dei patris per Verbum: unde & recreatio per Verbum fieri debuit a potentia Dei patris, ut recreatio creationi responderet.

Obj. 2. S. Thom. hic in calce articuli sic concludit: Unde requiritur, quod sola natura humana sit assumptibilis. Ergo R. S. Thom. loqui de assumptibilitate secundum congruentiam, non secundum potentiam Dei absolutam. Patet ex textu.

Obj. 3. Si Deus assumeret naturam irrationalem, v. g. naturam equi, aut canis, indecentissima foret communicatio idiomatum, quæ ex tali assumptione sequeretur: atqui Deus nihil potest facere indecens: ergo. R. D. Maj. Indecentissima foret communicatio idiomatum, secundum sensum nostrum præcisè, C. secundum rei veritatem, aut sensum fide regulatum, N. Patet ex dictis in probatione Conclus. Monet tamen rectè Cajetanus, quod, licet Deus absquè ullo majestatis suæ dedecore possit etsi vilissimam creaturam assumere, imprudenter tamen foret descendere ad particularia, propter periculum infirmitatis nostræ.

Obj. 4. Natura irrationalis non potest elevari ad visionem, & amorem Dei: ergo nec ad esse ejus personale. Prob. Conseq.